

Inst. 5. Potest Ecclesia errare in canonizatione Sanctorum: de facto erravit in religiosorum quorundam ordinum institutione aut approbatione, utpote quos postea extinxit: item in propositione Breviarii seu officii Ecclesiastici, in quo scilicet multa falsa continentur: sed cultus Sanctorum, Ordinum Religiosorum inductio, et recitatio Breviarii pertinent ad mores: ergo.

R. N. M. Et quidem 1. p. quia Ecclesiam universalem esse infallibilem in canonizatione Sanctorum, si de fide non teneat, asserit tamen communior et probabilior Theologorum sententia cum D. THOMA. quodlib. 9. art. 16; fundatque in Ecclesiae infallibilitate circa res morum, ejusque sanctitate et honore, cui Dei providentia et assistentia S. Spiritus non desit. Horum fundamentum 1^{um} facit, ut firmissimum sit iudicium speculativum; quod in cultu Sanctorum iudicio practico praeleuet: adeoque hoc prorsus distinguit ab aliis, adorationem hostiae, honorationem parentum, et alias actiones morales praecurrentibus: 2^{um} impedit fallibilitatem testimonii humani, ad negotium istud ordinarie concurrentis. Porro sicut cultus Sanctorum a reliquiarum cultu distinguitur ex objecto, quod in hoc respectivum, in illo autem absolutum et directum est; ita disparem rationem praebet, cur hic fallibilis esse possit, illic autem infallibilis debeat esse propositio.

Deinde *2. p.* quia ex eo quod extinctus sit *Ordo Religiosus*, non sequitur illum erronee institutum fuisse aut approbatum; cum extingui eum contingat, vel ob Religiosorum declinationem a sanctitate regulae, vel ob mutatam necessitatem aut utilitatem ipsius Religionis. Caeterum quamvis institutio ordinum religiosorum passim et ab omnibus non numeretur inter ea, in quibus Ecclesia errare nequeat, id tamen iisdem omnino certum est, universam Ecclesiam probare non posse alicujus Instituti regulam, quae aut errorem contra fidem, aut vitium contra mores complectatur.

Denique *3. p.* quia si qua falsitas inest, pertineans aut ad fidem aut ad mores, Ecclesia certe universalis *Breviaria* hujusmodi non proposuit: si autem historias illa inficiat, eadem Ecclesiae infallibilitatem haud laedit; utpote quae historiis in Breviario propositis auctoritatem humana majorem tribuere non intendit. Caeterum probata pluribus experimentis tum artis criticae fallibilitas, tum criticorum intemperantia, sufficere possunt ne qualicumque conjectura aut dubitatione opposita fidem Breviarii etiam historicam continuo aut facile convelli patiamur.

109. *Observa I.* Quae de infallibilitate diximus, quamvis secundum praesentis capitis institutum ad Ecclesiam complete spectatam pertineant, non minus tamen, quin et principalius, intelligenda sunt de Ecclesia formaliter et representative accepta, seu pro Episcopis capiti suo supremo adherentibus: tum quia Episcopis impositum est munus Act. 20. v. 28. *regendi Ecclesiam Dei*; 1. Pet. 5. v. 2. *pascendi gregem Dei*; Matth. 28. v. 20. *baptizatos docendi omnia mandata Christi*; 2. ad Tim. 1. v. 14. *custodiendi depositum fidei*; ad Ephes. 4. v. 11. *ministrandi in consummationem sanctorum et aedificationem corporis Christi*: tum quia illud Matth. 18. v. 17. *Die Ecclesiae*, communis interpretatio cum Chrysostomo, Theophyl. Euthym. et aliis, de Praesule Ecclesiae accipit; praeterea vero juxta Cypr. ep. 69. *Ecclesia est in Episcopo, et Episcopus in Ecclesia; ut, si qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non sint*; juxta Hieron. in Dial. adv. Lucif. *Ecclesia non est,*

quae Sacerdotes non habet; juxta Cyril. Alex. in ep. Synod. ad Nestorium *universorum Episcoporum consensus est Catholicae Ecclesiae fides*. Accedit tum quod Episcopis speciatim promissa sit infallibilitas, Matth. 28. v. 20. *Eccē ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*; et Joan. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: tum quod iisdem obedientia sit praestanda, ex Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit, et Matth. 23. v. 2. Omnia quaecumque dixerint vobis, servate et facite*.

Demum nec pertinet ad populum, tanquam gregem et oves, regere, pascere et docere: nec decet mulierum, (quas Apostolus in Ecclesia tacere jubet), aliorumque, maximam partem controversiarum ignarorum, inquirere mentem: nec factu possibile est, seu fidelium singulorum colligere sententias, seu universos in concilium cogere.

110. *II.* Neque tamen ad universalem Ecclesiam representandam, et Ecclesiae representative acceptae infallibilitatem tuendam, requiruntur omnes omnino Episcopi, ita ut major Episcoporum numerus summo Pontifici adunatus promissam Ecclesiae infallibilitatem non habeat, si pauci ex adverso Episcopi illorum doctrinae circa fidem aut mores repugnent. Patet id, tum ex recepta in omni tribunali lege, quae ex plurali suffragiorum numero sententiam totius senatus nomine enuntiari decernit: tum ex praxi Ecclesiae perpetua in causis ARII, DONATI, PELAGII et aliorum spectata: tum ex veræ Ecclesiae notis, quae descriptae Episcoporum multitudini perapte congruunt, paucitati autem repugnantium adversantur; quod argumentum Euseb. L. 5. hist. contra Montanistas, Pacianus ep. 2. ad Sempron. contra Novatianos, Athanas. ep. Synod. ad Jovian., Liberius ep. ad Constantium et Basil. ep. 75. ad Caesariens. contra Arianos, Hieron. in Dial. contra Luciferianos, cum Patribus Conc. Ephesini Act. 5. et Constantinop. II. Collat. 6., pluribus prosequuntur.

Unde patet, requisitam a nonnullis ad infallibile *definitionis dogmaticae* robur unanimi Episcoporum etiam consequentem (qua saltem post iudicium Ecclesiae latum prorsus omnes consentire debeant) imprimis esse gratis confictam, cum ratio dari nulla possit, cur paucitas resistentium non impediat moralem unanimi tatem antecedentem nec ferendum Ecclesiae iudicium, rescindat tamen unanimi tatem consequentem et latum jam iudicium: deinde absurdam et ridiculam, cum ex paucorum rebellium arbitrio penderet Ecclesiae auctoritas, et haec salvari nequiret, nisi seviendo in rebelles; quos praeterea sceleris quidem reos decernere, ipsius tamen sceleris notionem certam statuere nequeant iudices: amicam denique haeresibus fere omnibus et inimicam iudiciis Ecclesiasticis, cum nulla fere secta caruerit patronis etiam Episcopis, adeoque nulla definitio Episcoporum opposita polluerit infallibilitate, sine cujus adminiculo nec certitudo fidei, nec erroris oppositio determinari potest.

111. *III.* Via et modus, quo Ecclesia suam in rebus fidei et morum auctoritatem infallibilem exercet, universim est triplex, decernendo nempe vel per summum Pontificem solum, vel per Episcopos in concilio oecumenico congregatos, vel per eosdem extra concilium tale suis sedibus affixos, seu dispersos, utrobique tamen summo Pontifici adunatos. De gemino priori modo

agetur capitibus sequentibus: de posteriori hic addimus, consensum dispersorum Præsulorum esse vel expressum vel tacitum. *Expressus* est, dum legatis, aut litteris, siye synodice, siye singularibus, definitionem Pontificiam vel præveniunt et sollicitant, ut circa tria Capitula factum; vel sequuntur et adoptant, ut circa epistolam tractoriam contra Pelagianos, et circa Bullam *Unigenitus* contra Quesnellianos evenit. *Tacitus* est, dum dispersi per orbem Episcopi adversus constitutionem aliquam non reclamant, et hac sua non reclamazione, seu suo silentio illam approbare censentur.

Notæ autem et indicia hujus præsumptionis habentur; si materia constitutionis fidem, mores vel disciplinam generalem attingat; si forma constitutionis normam et regulam fidelibus omnibus observandam præ se ferat; si causa constitutionis legitima auctoritate polleat; si tempus constitutionis tantum sit, ut res ad Episcoporum notitiam pervenire poterit. Fundamentum porro præsumptionis hujusmodi est, tum unitas et communio Episcoporum et inter se et cum suo capite, in qua IREN. L. 3. adv. hæ. et TERTULL. L. de præscrip. certissimam veræ doctrinæ regulam collocabant: tum summa grassantibus erroribus ac vitiis contradicendi obligatio, Episcopis imposita; quam declarat AUG. ep. 119. c. 19. scribendo: *Ecclesia Dei ea quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit*; et L. de dono persev. c. 46. monendo: *Dicatur ergo verum, maxime ubi aliqua questio ut dicatur impellit*: Item COELESTIN. I. in ep. ad Epp. Galliæ statuendo: *Timeo ne connivere sit hoc tacere... In talibus autem causis non caret suspitione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret; merita namque causa non respicit, si silentio faceamus errori*.

QUERES: *An et quale judicium competat Ecclesiæ circa libros vel propositiones?*

412. *Nota I.* Ex variis doctrinæ rebus, de quarum judicio ad Ecclesiam pertinente generatim diximus, speciatim hic materiam judicandorum librorum et propositionum adducimus, tanquam argumentum multis posteriori ætate controversiis agitatum. Sicut tum libri, tum propositiones siye ex illis extractæ, siye alias prolatae, spectari dupliciter possunt, nimirum vel nude, simpliciter, absolute et in se ipsis, seu independentem ab omni auctore aut libro, vel relative ad sensum quidem auctoris pro utroque, et ad sensum etiam libri pro propositione inde extracta: sic recentiora de iis judicii Ecclesiastici exempla, quantum ad prius, dederunt Alexander VII, VIII et Innocentius XI plures propositiones, nulla facta auctorum vel librorum mentione, configentes; quantum ad posterius, Leo X, Innocentius X et Clemens XI libros et propositiones inde excerptas ad Auctorum, Lutheri, Jansenii et Quesnellianam ac sensum damnantes.

Porro judicii hujus quæstio, seu causa, alia dicitur *juris* seu *dogmatis*, qua scilicet quæritur, qualis, hoc est, an vera aut falsa, an orthodoxa aut heterodoxa sit in se doctrina hujus propositionis aut libri; alia dicitur *facti*, qua quæritur, quænam sit doctrina propositionis ut in libro, aut libri ut ab auctore prolata: subdividitur autem hæc quæstio in quæstionem *facti personalis*, ubi vel de auctore libri, vel de scripto propositionem continente solo quæritur, nulla facta dogmatis complexione; et in quæstionem *facti doctrinalis* seu *dogmatici*, ubi et de qualitate doctrinæ, et de talis doctrinæ attributione ad

hunc auctorem vel scriptum quæritur. Exempla harum quæstionum suppeditat causa Janseniana alibi tractanda. Nempe; an quinque famosæ propositiones hæresin contineant et merito damnatæ sint? est quæstio juris: an hæ propositiones extent in libro Augustinus inscripto, aut libri hujus et istarum propositionum auctor sit Jansenius? est quæstio facti personalis: an propositiones memoratæ jure merito proscriptæ sint in sensu, quem præse ferunt in libro Jansenii? est quæstio facti dogmatici.

Materia judicii non sunt nuda verba, sed sensus: sensus vero alius est *grammaticalis*, quem verba et constructio orationis præcise produnt; alius *philosophicus*, quem mens proferentis intendit: item alius *naturalis*, *proprius et obvius*; alius *extraneus*, *improprius et alienus*; prior in propositionibus absolute in se spectatis constituitur per sensum grammaticalem, in propositionibus autem relative ad sensum auctoris vel libri spectatis per sensum philosophicum; posterior ex quocumque alterutrius defectu oritur. Subdividitur porro sensus philosophicus in sensum *internum et personalem*, quem nempe auctor interior et in animo habet; et in *externum seu litteralem*, qui quidem præter verba ex consilio, instituto, textura et conformatione libri, ac tota doctrinæ ipsius serie colligitur, et posterioris classis propositionum sensus naturalis, proprius, et obvius habetur ac dicitur.

Forma denique et sententia judicii est vel *practica* vel *speculativa*. Practica est, dum approbat aut permittit, prohibet aut suspendit, sine aut sub certis conditionibus, lectionem libri vel assertionem propositionis: speculativa est, dum doctrinam declarat velut sanam seu immunem ab omni nævo, vel dum aliqua censura theologica notat, vel dum censurari prohibet.

413. *Nota II.* Facile convenit 1º. non esse faciendum discrimen inter textum brevem et longum, adeoque inter librum et propositionem in ordine ad judicium. Quantumvis enim Janseniani inter illa distinxerint; tamen id damnatum est a Clemente XI in Bulla *Vineam Domini*, an. 1703. edita, nec solida discriminis ratio ulla afferri potest. 2º. Ecclesiam directe non judicare de sensu interno ac personali; quia ad auctorem etiam declarandum tanquam hæreticum, h. e. cum animi pertinacia errantem, sufficit hanc internam comparationem aut præsumi ex qualicumque scientia et veracitate auctoris, aut supponi aliunde posse; cum hæc declaratio sit externa et judicialis infamatio, qualis etiam aliis in tribunalibus simili modo ex jure fieri consuevit. 3º. similiter Ecclesiam non judicare, saltem infallibiliter, infallibilitate divinitus promissa, de factis personalibus particularibus, et ad doctrinam fidei vel morum aut ad totam Ecclesiam non pertinentibus; prius quidem, quia Ecclesiæ nihil interest, scripseritne reipsa v. g. hic aut alius auctor hunc librum; alterum, quia sicut aliarum rerum particularium certa et evidens cognitio haberi potest, sic et certæ propositionis in determinato libro continentia cognosci potest certissimis argumentis: posterius, quia infallibilitas illa provenit tantum ex argumentis physicis, non autem ex Spiritus sancti assistentia, quæ in necessariis duntaxat et pro bono Ecclesiæ communi fuit promissa. 4º. Ecclesiam sine erroris periculo judicare circa librum aut propositionem simpliciter et absolute in se spectata; quia nemo unquam, nisi Ecclesiæ refractarius, id negat: contra hujusmodi autem, artic. pr. abunde actum est.

Itaque de quaestione duntaxat *facti dogmatici*, ac de iudicio circa librum vel propositionem, relative ad sensum auctoris externum, seu naturalem et obvium sumpta, agendum restat. In qua pertractatione ambarum quaesiti partium resolutioni inseretur responsio ad corollarium, quo aliqui docent satis esse, si iudicium Ecclesiae externo et, ut vocant, religioso silentio excipiatur, seu nihil illi contrarium dicatur, scribatur, aut doceatur; non autem requiri internum mentis et iudicii proprii assensum.

114. *Resp. I.* Ecclesiae competit jus ferendi iudicium circa libros et propositiones, relative etiam ad sensum auctoris. *Prob.* Ecclesiae competit hoc jus: ratione EPISCOPORUM: hi enim sunt pastores juxta illud Joan. 21. v. 17. *Pasce oves meas*; et 1. Pet. 5. v. 8. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*: sed pastorum munus est, non modo ovibus monstrare et praebere pascua salutaria, sed et a noxiis pabulis eas arcere; adeoque tum inter herbam et herbam, tum inter pratum et pratum discernere, et venenatum ac noxium a sano et salubri distinguere: praeterea vero per herbas propositiones, per prafa libros, per pascua doctrinas et auctorum sensum intelligere licet: ergo. 2. Ratione FIDELIUM: istos siquidem in ambiguis et variantibus, maxime circa religionem et salutem, oportet decisionem et instructionem capere a Sacerdotibus praesertim majoribus; ut tum in Vet. Testamento, Deuter. 17. v. 1., 2. Paral. 19. v. 10. Malach. 2. v. 7; tum in Novo, Matth. 18. v. 17. et Cap. 23. v. 2. praescribitur: sed libri et propositiones circa religionem et salutem in sensu auctorum sunt saepe ambigua, faciantque iudicia variare: ergo. 3. Ratione AUCTORUM: qui, si fideles sunt, licet haeretici, vi jurisdictionis, quam Ecclesia fundatam habet, prohibitione librorum vel damnatione sententiarum possunt puniri; si infideles sunt, vi conservationis et tuitionis propriae, possunt eodem modo vel directe arceri, vel indirecte, fidelibus nempe lectionem aut usum interdicens, impediri a nocimento inferendo. 4. Ratione DOCTRINAE: cujus depositum sicut Ecclesia habet, sic et curam, non tantum dum ipsa loquitur, sed et dum alii id audent, ex officio gerit, juxta illud 2. ad Tim. 4. v. 13. *Formam habe sanorum verborum, quae a me audivisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu: bonum depositum custodi*; et ib. 2. v. 16. *Profana autem et vaniloquia devota; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenaeus et Philetus*. Ergo.

Conf. Rectores, Patres, et Custodes Ecclesiae, a primis seculis ad nostra usque, hanc potestatem exercuerunt; utique, quid juris competat Ecclesiae, intelligentes et servantes. Et quidem Apostoli juxta Auctorem Constit. Apostol. L. 1. c. 7. fidelibus prohibuerunt libros gentilium et pseudoprophetarum, conformiter ad Act. 19. v. 19. *Multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus*: ex PONTIFICIBUS autem, teste Prospero in Chronico, Leo M. libros Manichaeorum, teste Anastasio Symmachus, Hormisdas et Gelasius libros haeticorum suae aetatis proscripserunt; quarum Pontificum postremus etiam indicem proposuit, quo libros probos a pravis discrevit, horum lectionem insuper fidelibus prohibens. Antecessorum formam secuti sunt successores, universim quidem, in Bulla Coenae a Martino V. an. 1420., et in Indice librorum prohibitorum a Pio IV an. 1564., primum solemniter editis, et posthac saepius continuatis: speciatim vero

Leo X articulos Lutheri, Pius V propositiones Baii, Innocentius X librum et propositiones Jansenii, Innocentius XII scripta Molinosi, Clemens XI observationes et propositiones Quesnelli damnando et prohibendo. Patres itidem in conciliis congregati eadem potestate, severitate etiam majore, usi sunt contra haeticorum lucubrationes.

Nam jussu Concilii Niceni flammis absumpti sunt libri Arii: Synodus Constantinop. I. proscripsit epistolas Aetii: a Conc. Ephesino I. Act. 5. interdicta sunt scripta Nestorii: in Chalcedonensi, Eutychetis opera fuerunt damnata: idem statutum fuit in Constantinopolitano II contra epistolam Ibae, et libros Anthymi ac Theodori: Constantinopolitanum III rogo addidit libros Monothelitarum: Nicenum II praeter libros alios damnavit inscriptum Itinerarium Apostolorum: similia legere licet in actis conciliorum generalium sequentium et aliorum.

Tutores tandem Ecclesiae IMPERATORES alique magistratus, ad defensionem Religionis evocati, legibus ac poenis haud mitiora in libros notatos statuerunt. Inter quos Constantinus M. rogum Arii scriptis, capitis poenam eorum occultatoribus indixit. Eodem supplicii genere persecutus est Eunomii opera Theodosius senior, libros Nestorii et Porphyrii Theodosius junior, Eutychetis scripta Valentinianus et Marcianus, Severi commentationes Justinianus, et posterioribus seculis Joannis Huss et Lutheri opera Sigismundus et Carolus V; ne quid dicam de Regum Franciae Ludovici XIV et XV pluribus edictis contra novissimas factionis Jansenianae lucubrationes. Quam quidem Ecclesiae praxin pertinuisse ad auctorum sensum, tum frequens ipsorum auctorum una cum scriptis damnatio, tum alia indicia manifesta docent.

115. *Resp. II.* Lato Ecclesiae iudicio ejusmodi, debetur non solum silentium religiosum, sed internum mentis assensus fidelium. *Prob.* 1. Ratione praeepti, quo Ecclesia subscriptionem etiam cum juramento faciendam saepe exigit. Subscriptio exterior, destituta interiore mentis adhaesione et consensu, verum est mendacium et perjurium: ergo. 2. Ratione doctrinae, quae per iudicium hoc declaratur. Sicut enim veritas revelata corde creditur ad justitiam, ore autem ejus confessio fit ad salutem: sic et veritas per Ecclesiam proposita saltem corde suscipitur ad unitatem, ore autem aut manu fit ejus confessio aut subscriptio ad obedientiam. 3. Ratione finis, qui stat in proscriptione erroris et confirmatione sani dogmatis: sed neuter obtineretur, si liceret animo dissentire ab Ecclesiae iudicio: ergo.

Conf. Ex Ecclesiae praxi constat: 1º. subscriptiones concilii fieri consuevisse, mentione facta consensus: *consentiens subscripsi; obtemperans sententiae subscripsi; statuens vel definiens vel approbens subscripsi*; 2º. anathematismos fuisse faciendos *ex toto animo et tota cogitatione*, ut ait Justinianus in Traet. ad Mennam; *corde et ore*, ut loquitur Beda L. 4. hist. c. 17; *anima et ore*, ut Lateran. IV Secret. 5. Can. 18. loquitur; *fide et persuasione interiore*, ut sub finem Constantiense jubet; 3º. in subscriptionibus aut anathematismis admissa non fuisse praeritionem aut silentium, ut ex Hier. ep. ad Panmach., Leon. I ep. 6. ad ep. Aquileiensem patet; nec suspensam e conditione assertionem, ut ex Cyril. ep. ad Donat. de Joannis Antiocheni anathematismo apparet; nec indeterminatam aut vagam, ut ex Act. 8. Conc. Chalcedonensis circa Theodoretum liquet. His accedit Apostolica Cons-

titutio *Vineam Domini Sabaoth*, qua religiosi silentii sufficientia damnatur, velut injuriosa et contumeliosa Ecclesiae, superbiae et temeritatis plena, inobedientiae ac rebellionis adjumentum etc.

116. *Respondeo III.* Judicium Ecclesiae de libris et propositionibus in sensu auctorum est infallibile. *Prob.* Ecclesia ex resp. 1^a. habet jus ferendi hoc judicium; et ex resp. 2^a. hujusmodi iudicio debetur non tantum silentium obsequiosum, sed internus mentis assensus: ergo idem iudicium debet esse infallibile. *Cons. prob. 1.* Quia mentis assensus non debetur nisi auctoritati omnino certae ac infallibili, praesertim obligatorius sub poena anathematis; cum iniquum foret, ita obligare fideles ad assentiendum rebus fallibilibus et incertis. 2. Quia Ecclesia et in iudicio ferendo declarat id se facere cum assistentia Spiritus sancti, usurpando saepius illa verba, *Visum est Spiritui sancto et nobis*; et in assensu exigendo postulat nonnunquam fidem, ut in Conc. Constantiensi proposuit illam quaestionem: *utrum credant etc.*; ex utroque autem fluit infallibilitatis attributum. 3. Quia, cum ex prioribus assertis geminis facile elidantur appellationes et negentur reformationes, ne iudiciorum ejusmodi, si qui possibiles statuuntur, errores circa fidem et salutem fiant irreparabiles, Ecclesiae iudicandi infallibilitas est tribuenda.

Conf. I. Ecclesiae iudicium est infallibile in quaestionibus juris et libris ac propositionibus absolute secundum se spectatis, ut num. 107. et 110. probatum dedimus: ergo et in quaestionibus facti dogmatici, et libris ac propositionibus relative ad sensum auctorum spectatis. *Cons. prob. 1.* Quia, si Ecclesia erraret, iudicando v. g. Institutionem CALVINI continere doctrinam Catholicam et libros AUGUSTINI de gratia complecti doctrinam erroneam, Ecclesia discens, cum dogma hic non cognosceret nisi in facto ac libris relative sumptis, erraret etiam circa dogma, CALVINI propositiones haereticas amplectendo, et AUGUSTINI orthodoxas negando; Ecclesia autem docens, cum factum a jure non distingueret, male pasceret, regeret, et doceret fideles: adeoque neutra praerogativa divinitus promissa haberet. 2. Quia partim inseparabile est dogma a facto, saltem dum proponitur fidelibus aut vitandum aut tenendum: partim ut conjunctum iudicari debet, ad fidelium salutem et fidei custodiam, dum in hominum commercium et controversiam jam elatum est ab Auctoribus. 3. Quia alias nullum concilii decretum ad Patrum conditorum mentem adoptari, nullus error damnatorum ab Ecclesia auctorum anathematizari posset, quin de utriusque sensu dubitare aut aliter etiam sentire liceret.

Conf. II. Ecclesia est infallibilis in definiendo quis sit Scripturae sensus; cum exinde Conc. TRID. Sess. 4. Vulgatam declaravit authenticam: est infallibilis in declarando sensu Traditionis a Patribus relatae; cum ex hac in plerisque conciliis definiverit fidei dogmata: est infallibilis in usurpando sensu symbolorum et decretorum; cum secundum ea fidei professionem concinnarit: ergo etiam infallibilis est in iudicando sensu librorum et propositionum relative spectatarum. *Cons. prob. 1.* Quia in Scriptura, Traditione, et Symbolis, sensus obvius aequae est sensus philosophicus, et non mere grammaticalis, aequae est factum dogmaticum ac sensus externus auctorum libros et propositiones edentium. 2. Quia cum relativorum eadem sit cognitio, et sensibus Scripturae, Traditionis, et Symbolorum, sensus alii vel conformes vel

difformes esse debeant; sicut infallibilis est Ecclesiae cognitio circa sensum Scripturae, Traditionis et Symboli, sic et ejusdem rationis debet esse cognitio circa sensum cujuscumque propositionis aut libri cum illo comparati. 3. Quia sensus librorum et propositionum formaliter vel includitur vel excluditur a sensu Scripturae, Traditionis aut Symboli; applicatur autem cognitioni Ecclesiae per evidentiam signorum et regularum de sensu obvio auctorum: ergo iudicium de sensu auctorum in libris aequalem certitudinem nanciscitur cum iudicio de sensu Scripturae, Traditionis et Symbolorum.

117. *Objic.* Ecclesia non est infallibilis, nisi in iis quae ad fidei aut morum doctrinam pertinent: sed ad fidei aut morum doctrinam non pertinet quaestio, quis sit sensus libri aut propositionum, vel an liber aut propositiones in sensu auctoris contineant haeresin? ergo.

Prob. 1. Quia Christus Ecclesiae tantum promisit infallibilitatem, quae sit necessaria, ne portae inferi adversus eam praevaleant: salva autem fidei et morum doctrina, portae inferi non praevaleant contra Ecclesiam. 2. Juxta Patres, quidquid in conciliis etiam generalibus, excepta sola fide, definitur, nullius est firmitatis; ita LEO I ep. ad Maximum Antioch. scribit; *retractari potest, imo licenter reprehendi*, ut PELAG. II ep. 3. ad Epp. Istriae declarat. 3. In quaestionibus facti errare posse Ecclesiam, D. THOM. Quodlib. 9. art. 16., Tostat. in Defensorio, Dionys. Carthus. L. 3. de Auctor. Papae et Conc., Gerson L. de Eccles. unit., Melch. Canus de Loc. Theol. L. 3. c. 5. aliique enuntiant.

R. ad Arg. Ut obiectio aequaliter decurrat, propositio materiam controversiae exponens prior, sc. quis sit sensus libri, accipienda est de sensu theologico, seu in ordine ad qualitatem doctrinae. Quantumvis enim quaestio *quis* discrepet ab illa *qualis* sit sensus, jam supra tamen notavimus Ecclesiam de quaestione priore solitarie accepta, et sensu mere grammaticali, haud ferre iudicium: praeterea hic addimus distinctionem hanc frustra fuisse olim prolatam ab auctore Belga in libro *Via pacis* inscripto. Nam quod Ecclesiae praxin attinet, nisi propositio sit ambigua, et hinc (ut in art. 24. et 41. WICLEFFI Conc. Constantiense et in 3^a JANSENI Innocentius fecerunt) sensus per damnationem sit determinandus, illa propositiones censurat semper in sensu naturali et obvio: quod ad jus autem spectat, utrumque sensum a censura attingi oportet; ne scilicet Ecclesia frustretur fine suo superius exposito, ne res fidei et religionis recidat ad logomachias, ne damnatarum propositionum auctoribus perpetua excipiendi et altercandi materia relinquatur. Non minus porro infallibilis in hoc sensu discernendo Ecclesia haberi potest, ac ipsa est in sensu suarum enuntiationum, quibus aut dijudicat, aut interpretatur aliquam doctrinam, cum utrumque ex iisdem principiis profluat. Quin et infallibilitatem hanc velut grammaticalem, quantum ad Theologicum propositionum iudicium pertinet, divinam dicere licet; cum ea a Spiritu sancti assistentia proveniat, qui providens de aliquo fine, etiam de requisitis ad illum providet. Reducta sic ad unitatem obiectione

R. D. M. Ecclesia non est infallibilis, nisi in iis, quae sive formaliter et immediate, sive virtualiter et mediate, ad fidei et morum doctrinam pertinent, C. nisi in iis, quae formaliter tantum et immediate ad doctrinam illam pertinent, N. Similiter *D. m.* Quaestio illa, quis sit libri sensus, aut illa,